



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Articulus II. vtrum diuinæ naturæ conueniat assumere

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

na vere efficitur natura cuiusdam personæ diuinæ, ergo necesse est ut illi addatur. Denique argumentum factum fundatum in vi verbi assumendi solutum non est; quia sumere est aliquid ad se sumere; ergo est aliquid sibi adiungere, vel addere.

Dicendum est, quoniam res ipsa satis per se constat, D. Thom. solum docere voluisse debitum loquendi modum. Primum enim constat aliquid vere, & realiter esse vnicum verbo, quod ante non erat, & si hoc solum significet Verbum addendi, negandum non est aliquid additum esse Verbo: nihilominus tamen certum est, simpliciter & absolute nihil perfectionis esse additum Verbo: tum quia ipsum per se eminenter continebat, quidquid est perfectionis in humanitate: tum etiam, quia humanitas, non se habuit in hoc mysterio ut forma perticiens Verbum, sed potius (si aliquid habuit modum formæ) Verbum ipsum fuit quasi forma humanitatis: quamquā nec vere forma fuerit, sed solum terminus, aut actus perfectissimus. Vnde tandem fit, quod ad modum loquendi spectat, potius dicendum esse aliquid esse additum humanitati, quam Verbo, quia Verbum immutatum mansit, humanitas vero est, quæ pericitur, & à Verbo pendet, & in hoc solum simile est exemplum quod D. Thom. adducit.

Secundum argumentum D. Thomæ est: Persona est incommunicabilis: ergo non potest aliquam naturam ad se sumere, quia non potest illam ad se sumere, nisi se illi communicando. Responsio consistit in distinctione antecedentis, est enim persona incommunicabilis aliis personis, non alijs naturis. Circa quam mouet Caietanus duo dubia. Alterum est circa distinctionem datam, sed non videtur necessarium, quia res est satis clara, aduertendo, de ratione omnis rei indiuiduæ esse, ut sit aliquo modo incommunicabilis, non tamen simpliciter, & omni ratione, sed accommodate: vnde de ratione indiuiduæ naturæ est, ut sit incommunicabilis pluribus naturis, quia in hoc consistit eius singularitas, seu determinatio, & ideo contradictionem implicat indiuiduam naturam, etiam diuinam, hoc modo communicari; potest tamen esse communis multis suppositis, quia hoc non pugnat cum singulari, & indiuidua ratione eius, sicut repugnat forme substantiali communicari alteri formæ, non vero materiæ. At vero è contrario de ratione suppositi est, ut non possit communicari alteri supposito, quia hoc pugnat cum singulari modo ipsius suppositi, quia dicit quiddam vltimo terminatum, sub quo non est aliud, huic autem modo non repugnat, ut suppositum communicetur multis naturis, quia licet vltimus terminus non possit vltra terminari, possunt tamen multa eodem termino vltimo terminari, ut in lineis, & puncto videre est. Alterum dubium Caietan. est, an communicari multis naturis possit conuenire supposito creato, quandoquidem non pugnat cum ratione suppositi ut sic. Sed hoc tractabitur infra disput. 13. sect. vltima.

Tertium argumentum est: Persona constituitur per naturam, ergo non assumit illam, quia effectus non agit in causam suam, nullus enim potest agere in eam formam, per quam constituitur, ut illam veluti trahat ad se constituendum. Responsio consistit in distinctione antecedentis, persona enim Verbi simpliciter non constituitur per humanitatem assumptam, sed per propriam diuinam naturam, per humanitatem vero constituitur homo: & hoc est, quod D. Tho. ait, solum constitui secundum quod denominatur à tali natura, hæc enim denominatio non est accidentalis, vel extrinseca, sed substantialis & intrinseca, quamuis non sit Verbo secundum se connaturalis. Quia ergo persona supponitur constituta simpliciter, ideo operari potest, ut se constituat hominem humanam naturam assumendo. Dicitur

autem, natura constituere personam constitutione (ut ita dicam) essentiali, non personali, est enim natura veluti integra forma constituens indiuiduum in propria specie, & hoc modo Christus humanitate constituitur in specie humana, diuinitate verò est essentialiter Deus: in ratione autem personæ, formaliter ac propriè relatione sua, ac substantia incommunicabili constituitur.

ARTICVLVS II.

Utrum diuina natura conueniat assumere.



Secundum sic proceditur. Videtur, quod 3. d. 5. q. 2. art. 2. natura diuina non conueniat assumere: 2. Quia, sicut dictum est*, assumere dicitur quasi ad se aliquid sumere: Sed natura diuina non sumpsit ad se humanam naturam, quia non est facta vnio in natura, sed in persona: sicut supra dictum est*. Ergo natura diuina non competit assumere q. 2. art. 2. naturam humanam.

2. Præterea, Natura diuina communis est tribus personis. Si ergo natura conueniat assumere, sequitur, quod conueniat tribus personis. Et ita Pater assumpsit naturam humanam, sicut & Filius: quod est erroneum.

3. Præterea, Assumere est agere. Agere autem conuenit personæ, non naturæ, quæ magis significatur ut principium, quo agens agit. Ergo assumere non conuenit naturæ.

Sed contra est, quod August. dicit in lib. de Fide ad Pet. 1. la natura quæ semper genita manet ex Patre, id est, quæ est per generationem æternam, accepta à Patre, naturam nostram à matre sine peccato suscepit. Cap. 2. inter prin. & me. c. 10. m. 3.

Respondendo dicendum, quod sicut dictum est*, in Verbo assumptionis duo significantur, scilicet principium actionis, & terminus eius. Esse autem assumptionis principium, conuenit naturæ diuinæ secundum seipsum, quia eius virtute assumptio facta est. Sed esse terminum assumptionis non conuenit diuinæ naturæ secundum seipsum: sed ratione personæ, in qua consideratur. Et ideo primo quidem, & propriissime persona dicitur assumere: secundario autem potest dici, quod etiam natura assumpsit naturam ad suam personam. Et secundum etiam hunc modum dicitur natura incarnata: non quasi sit in carnem conuersa, sed quia naturam carnis assumpsit: Vnde Damascenus dicit*. Dicimus naturam Dei incarnatam esse, secundum beatos Athanasium & Cyrillum.*

Ad primum ergo dicendum, quod ly se, est reciprocum, & refert idem suppositum. Natura autem diuina non differt supposito à persona Verbi: & ideo in quantum natura diuina sumit naturam humanam ad personam Verbi, dicitur eam ad se sumere. Sed quamuis Pater sumat naturam humanam ad personam Verbi, non tamen propter hoc sumit eam ad se: quia non est idem suppositum Patris & Verbi, & ideo non potest dici proprie, quod Pater assumat naturam humanam. Ad secundum dicendum, quod illud quod conuenit naturæ diuinæ secundum se, conuenit tribus personis: sicut bonitas, sapientia, & huiusmodi. Sed assumere conuenit ei ratione personæ Verbi, sicut dictum est*. Et ideo soli illi personæ conuenit.

Ad tertium dicendum, quod sicut in Deo idem est quod est, & quo est: ita etiam in eo idem est, quod agit, & quo agit: quia vnumquodque agit in quantum est ens: Vnde natura diuina est illud, quo Deus agit, & est ipse Deus agens.

COMMENTARIVS.



ENSVS quæstionis est de Incarnatione iam facta, sicut articulo præcedenti diximus, an ratione illius, prout facta est, possit vere dici diuina natura humanam assumpsisse: & quamuis Caiet. intel-

intelligat quæstionem moueri de diuina natura, tã significata nomine abstracto Deitatis, quam significata nomine huius Dei; existimo tamen D. Thomam præcipue intendere quæstionem priori sensu tradere, nam de hoc Deo, vt abstrahit à personis modo supra explicato, nihil D. Thom. differt, vt vero supponere potest pro personis, nulla restabat difficultas, cum constet, quidquid conuenit personæ conuenire huic Deo supponenti pro personis: quia vero diuinitas hoc modo significata, ex modo significandi non videtur supponere pro persona, ideo de illa sub hac ratione est specialis difficultas, quam Diuus Thom. explicare intendit.

Fulgentius. b Responsio est, naturæ diuinæ conuenire assumere, non primario, sed secundario: ad quam confirmandam affert Diuus Tho. in argumento sed contra: testimonium August. seu potius Fulgent. lib. de fide ad Pet. cap. 2. vbi sic ait. *Natura, quæ semper genita ex Patre, naturam nostram à matre sine peccato suscepit; et diuinitatis prior pars est impropiissima, & in rigore falsa, quia diuinitas non est genita: & ideo D. Thom. illam pie explicat hoc modo, natura per generationem accepta, quæ expositio vera est: sed illa, vel alia simili admittitur, sit inefficax hoc testimonium ad posteriorem partem confirmandam, nam pari ratione exponi poterit in sensu improprio: dici enim potest ibi naturam genitam sumptam esse improprie pro persona, vt litera etiam contextus indicare videtur.*

Omissa ergo autoritate, ratio, qua D. Thom. confirmat conclusionem, est euidens. Quia ex duabus habitudinibus, quas verbum assumendi includit; altera, quæ est habitudo principij, conuenit primo & per se naturæ, quia illius est virtus agendi; altera vero, scilicet habitudo termini, quamuis per se primo non conueniat naturæ, quia non est natura immediate alteri naturæ copulata, conuenit tamen ratione personæ in qua sibi naturam coniunxit. Hinc ergo concludit D. Tho. non solum posse dici naturam diuinam humanam assumpsisse, sed etiam fuisse incarnatam, id est carni coniunctam, quamuis non in illam conuersam.

Fulgent. Et hanc locutionem fuisse ab antiquis Patribus v. sitatam constat ex iis, quæ supra adduximus disputatione 7. sect. 2. in fine, quibus addi possunt Fulgent. q. 2. ad Ferrandum, & Pet. Diacon. lib. de Incarnat. c. 2. & Aug. 1. de Trinit. c. 7. & 11. vbi dicit formam Dei assumpsisse formam serui, & in Enchir. cap. 34. dicit corpus fuisse à diuinitate susceptum, & epist. 57. dicit diuinitatem fuisse participem factam nostræ mortalitatis & eodem sensu Nazian. orat. 1. dicit diuinitatem fuisse exinanitam, & orat. 51. corpus esse cum diuinitate, à qua susceptum est: & fere eodem modo loquitur Leo Pap. epist. 10. & alia sumi possunt ex Nicet. li. 3. Theod. c. 34. & 35.

Leo Pap. Solum est obseruandum D. Damasc. lib. 3. Fidei, cap. 11. non videri admittere illam locutionem simpliciter, sed cum addito aliquo quasi restringente, vel definiente illam ad personam Verbi, negat enim diuinitatem esse incarnatam, quamuis cõcedat naturam Verbi esse incarnatam, quia cum diuinitas ex modo significandi non supponat pro persona, si absolute incarnata dicatur, significatur ipsam primario, & adæquate, atque adeo in omnibus personis fuisse incarnatam, quod falsum est: addendo verò naturam Verbi, seu diuinitatem in Verbo fuisse incarnatam, iam significatur non secundum se, sed in vna persona fuisse carni unitam. Propter quod Nicet. li. 3. Theod. c. 11. absolute dicit: Errore non caret si naturam diuinam incarnatam esse dicamus, vel si carnem à natura diuina assumptam fuisse dixerimus. Gab. vero in 3. distinct. 5. concl. 4. & 5. admittit, naturam diuinam esse incarnatam, & vniuissse sibi naturam humanam, non tamen eam assumpsisse. Sed cum res constet, & modus loquendi D. Thom. sit communis sancto-

A rum, non est quod in illo timeamus: & Damasceni quidem admonitio non displicet, tamen vbi iam non est erroris periculum, non est adeo necessaria, præsertim quia in rigore sermonis, sicut diuinitas simpliciter dici potest unita carni, ita dici potest incarnata, nam idem est sensus. Notetur tamen obiter ex D. Thomæ discursu, incarnatam esse, vel assumpsisse humanitatem, non eodem modo dici de Verbo, & de diuinitate: de Verbo enim dicitur, vt de proprio termino ad quem vnio facta est, de diuinitate vero solum quia eidem termino vnionis, seu Verbo coniuncta est. Sed de hac locutione, & de aliis, quæ ex illa sequuntur, dicemus latius infra q. 16. ar. 5. rem vero ipsam magis disput. sequenti explicabimus.

B Solutiones ad primum & secundum satis ex dictis sunt expositæ. Solutio etiam ad tertium clara est: quia vero in illa dicit D. Thom. naturam diuinam esse, & quia Deus agit, & Deum ipsum agentem; inde colligit Caietan. D. Thom. non solum hic quæstionem tractare de deitate, sed etiam de hoc Deo. colligit deinde hunc Deum, prout abstrahit à personis esse primarium principium assumptionis, licet non sit primarius terminus. Sed neutrum colligitur ex D. Thom. quia potius supponit ipsi Deo conuenire efficere, vt inde concludat propter summam simplicitatem etiam posse tribui deitati, quia in Deo idem est, quo est, quod est: quod est verum de essentia, & persona; etiam si non admitteretur hic Deus abstractus à personis, vt Caietan. opinatur: & ideo nihil quod ad illam quæstionem pertineat ex hac solutione sumi potest, quidquid de re ipsa sit.

DISPUTATIO XII.

In duas sectiones distributa.

De persona assumente, & humanitati unita per Incarnationem, prout facta est.



O Ta huius quæstionis materia in duas partes supra diuisa est, & ita duabus disputationibus illis partibus respondetur: eam comprehendemus: quarum altera pertinebit ad incarnationem iam factam; altera ad possibilem. In præsentis disputatione de priori parte agendum est, in qua quo tantum occurrunt consideranda. Primum est quasi materiale, scilicet quæ persona diuina fuerit incarnata: alterum est quasi formale, scilicet quæ fuerit ratio terminandi naturam assumptam.

SECTIO I.

Utrum sola persona Filij fuerit incarnata, & humanitatem assumpserit.

*Q*Uod persona Filij incarnata fuerit nullus hereticorum vnquam negauit, vt satis in superioribus ostensum est, cum Christi diuinitatem, & humanitatem probaremus. Quod vero non tantum Filius, sed etiam Pater, & Spiritus Sanctus, incarnati fuerint, affirmarunt in primis Sabelliani, cum enim personarum distinctionem negarent, consequens illis fuit, vt Filium sine Patre incarnari posse negarent, quia non re, sed nomine tantum illos distinguabant, vt ex August. sumitur lib. de hæres. in 36. & August. 41. Petrus etiam Gnapheus fertur in hunc incidisse errorem, de quo satis in disputatione septima, sect. 2. & 3. diximus. Refert item Socrates libro 2. histor. capit. 19. fuisse coactum Concilium quoddam contra hæreticos dictos Patripassianos, qui totam Trinitatem incarnatam fuisse dicebant. Denique tempore D. Anselm. hic error excitatus est, & in Concilio quodam Rheimensi damnatus, vt ipse refert Anselm. lib. de Incarnat. Verbi, quem contra illum errorem scripsit.

Dico

Dico tamen primò. Ex diuinis personis sola persona Filij incarnata est, & humanitatem assumpsit. Est de fide definita in quinta Synodo, collat. 8. can. 4. & 10. & Concil. Lateran. sub Mart. 1. consult. 5. can. 4. & 10. & Concil. Lateranens. sub Innocent. III. & habetur in capit. Firmiter. de summa Trinitate. Conc. Tol. & Fide Cathol. & in Concilio. Toletan. VI. & XI. in confessione Fidei, & Carthag. V. cap. 1. & V. Vorticiens. in professione Fidei. Et sumitur ex omnibus Scripturæ locis, in quibus Filius Dei specialiter dicitur incarnatus, quod nunquam de Patre, vel Spiritu sancto asseritur: eodem modo dicitur Patrem dedisse nobis Filium, & tradidisse in mortem, & alia similia. Item ex illis, quibus dicitur, Filius minor Patre ratione assumptæ naturæ, hoc enim verum non esset, si Patrem etiam esset homo. Præterea, quia Scriptura sacra, ita distinguit Christum à Patre, & ab Spiritu sancto, sicut Filium, seu Verbum, ergo sentit Christum, ut subsisteret in humanitate, & diuinitate (hoc enim nomen Christi significat) personaliter distingui à Patre, & ab Spiritu sancto: denique arguit Felix I. episcopus. decretali, quia Filius specialiter dicitur visibilis, seu visus in terris propter mysterium incarnationis.

Traditionem sanctorum Patrum referre non oportet, quia est notissima, statim vero tam in hac, quam in sectione sequenti varia illorum testimonia necessario indicabimus.

Ratione non potest simpliciter demonstrari hæc veritas, cum ex diuina pendat voluntate, traduntur tamen à Patribus varix rationes congruentes, propter quas conueniens fuit Filij personam, potius quam aliam incarnari. Prima ut idiomatica essent, quantum fieri posset, similia, id est, ut qui ab æterno erat Filius Dei, in tempore fieret filius hominis, & nomen Filij Patri, vel Spiritui sancto nullo modo communicaretur. Ita Damasc. lib. 4. cap. 4. Anselm. dicto lib. de Incarnat. Verbi cap. 4. & lib. 2. Cur Deus homo. c. 9. Secunda, quia Verbum est exemplar, & sapientia, per quam facta sunt omnia, & ideo de cuius, ut per eandem sapientiam incarnatam omnia instaurarentur, & ad excellentiorem quandam dignitatem prouherentur, iuxta illud Pauli ad Ephes. 1. Instaurare omnia &c. Ita Damasc. supra, & indicat August. tract. 17. in Ioan. circa illa verba. Pater meus vique modo operatur & ego operor. Tertia ut naturalis Filius filios adoptiuos honoraret, & sibi faceret similes. Quarta, pertinuit enim ad Filium, Patris iniuriam vindicare, & filios adoptiuos reparare. Quinta quia homines perierant appetendo scientiam, & similitudinem Dei, conueniens fuit, ut per ipsum Verbum, quod est sapientia, & imago Patris à quo quodammodo fuerat sumpta occasio humanæ ruinæ, redimerentur: ut latè Bernard. serm. in Dom. 1. Aduent. Sexta, quoniam demon primatum appetierat, qui Filio deberetur, decuit ut per ipsum Filium expugnaretur, August. lib. Quæstionum veteris, & noui testamenti. q. 113. Septima, quia persona incarnata oratura erat ad Patrem pro hominibus, optimè hoc munus accommodatum est personæ Filij. Ita Anselm. supra. Octaua, Filius est quasi persona media inter Patrem, & Spiritum sanctum, procedit enim à Patre, & producit cum illo Spiritum sanctum, ideo decuit, ut etiam esset mediator inter Deum & homines. Aliæ rationes similes facili sumi possunt ex Athanas. libris de Incarnatione Verbi, & de Corporalibus aduent. August. de Eccles. dogmat. c. 2. Fulgent. de fide ad Petrum. c. 2. Bernard. serm. 1. de Natiuit. & super Missus est. Leone p. serm. 4. de Natiuit. Richardo de Sancto Vi. lib. de Incarnat. Verbi. c. 9. D. Thom. & sequentib. & D. Thom. infra hac q. art. 8. & 4. contra gent. cap. 42. & Alex. Alen. 3. p. q. 2. memb. 5. & alijs Theologis in 3. d. 1. & 5.

Sed obijciunt, quia impossibile est vnā personam operari incarnationem sine alia, ergo & incarnari. Suarez. Tom. 1.

A nari sine alia: probatur consequentia, quia non est maior ratio in vno, quam in alio; nam per Incarnationem, duplicem dependentiam intelligitur habere humanitas à persona: altera est à causa efficiente, & conseruante vnionem; altera est ut à termino, seu à supposito vnionem terminante: sed quamuis personæ distinguantur realiter, nihilominus prima dependentia, seu relatio non potest esse ad vnā personam sine alia, ergo nec secunda. Confirmatur, quia non potest vna persona obiectiue terminare visionem claram sui sine alia, ergo nec potest terminare humanitatem.

Ad argumentum solutio pendet ex dicendis sect. sequent. ideo breuiter negatur sequela; & ratio est, quia ratio efficiendi Incarnationem est vna, & eadem in omnibus personis, quæ nihil efficiunt ut distinctæ, sed ut vnum, & ideo nihil potest vna efficere, quod non faciat alia: ratio verò terminandi est relatio, quæ realiter distinguitur ab alijs, & ita vna persona terminat, ut distincta ab alijs, & ideo potest terminare sine illis.

Et declaratur, nam vnaquæque relatio diuina terminat ipsam essentiam diuinam terminatione distincta ab alijs relationibus, & ideo per se constituit distinctam personam diuinam ab alijs. ergo quælibet etiam per se potest terminare naturam humanam terminatione distincta ab alijs: ergo & sola potest terminare sine alijs. Probatur vltima consequentia: reliqua enim omnia clara sunt, quia respectu humanitatis non habent relationes diuinæ eam connexionem, quam habent respectu diuinitatis: hæc enim connexio duplex est. Prima ex parte ipsius diuinitatis, quæ natura sua, & ob suam infinitatē, postulat terminari à tribus, & non potest esse in statu præter naturali, & ideo non potest terminari ab vna persona, quin simul terminetur ab alijs, humanitas verò nec petit terminari à pluribus personalitatibus absolute loquendo, nec illi est connaturale, ut diuina relatione terminetur, sed supernaturale; & ideo ex hac parte omnino est liberū Deo quod vna vel alia relatione humanitas terminetur. Secunda connexio est ex parte ipsarum relationum: habet enim inter se necessariam habitudinem originis, vel respectus; & ideo non potest esse vna sine alijs; & ideo non potest vna terminare diuinam essentiam, quin simul alia terminent, quia non possunt esse extra diuinam essentiam: at verò respectu humanitatis non ita se habent, quia non sunt idem illi sicut diuinæ essentie, nec necessariò sunt vniti illi; & ideo nulla est necessaria connexio inter illas quo ad hanc vnionē; nec verò vna potest indigere alia ob insufficientiam, ut per se constat: esset enim hæc magna imperfectio: ergo.

Sed vrget Gabr. in 3. d. 1. q. 1. art. 3. dub. 2. inquirendo, cur relatio ut sic non possit esse ratio efficiendi, sicut terminandi: quia etiā ut relatio habet propriam perfectionem, quæ est maior, quam omnis perfectio creaturæ, ergo per illam ut sic, erit sufficiens principium agendi sicut terminandi. Respondet primo ex aliorum opinione, relationem, ut relationem nullam dicere perfectionem, & ideo non posse esse rationem agendi: quam solutionem ipse merito improbat: tū, quia relatio diuina re vera dicit propriam perfectionem relationem infinitam in suo genere: tum etiam, quia si illa ratio esset vera, nec posset esse ratio terminandi, quia ad hoc requiritur magna perfectio substantiæ, ut ex supra dictis patet. Ideo ipse respondet, nullā à nobis posse reddi rationem, ob quā possit relatio diuina esse ratio terminandi vnionē, & non efficiendi, sed hoc sola fide teneri.

Non est tamen adeo difficile, huius rei rationem reddere, in omni enim re principium agendi, & operandi est ipsa natura, & in re intellectuali, qualis est Deus, omnis operatio procedit aliquo modo ab intellectu, & voluntate: quia ergo in tribus personis

B b

vna

vna est natura, idemq; intellectus, & voluntas, ideo vna est illius omnipotentia, cum ergo Incarnatio sit maximum omnipotentia opus, non potest relatio ex præcisa ratione relationis esse principium eius, sed ex omnipotentia, quæ illi conuenit ratione essentia: & eadem ratione, omnis alia effectio est communis omnibus personis, sicut voluntas & intellectus. Quo circa quamvis relatio, vt relatio, dicat aliquam perfectionem, tamen quia illa non pertinet ad perfectionem naturæ, ideo non habet ex proprijs, vt sit principium, seu ratio agendi, sed vt constituat, suppositum, à quo actio procedit: habet tamen ex proprijs, vt possit esse ratio terminandi, quia ex se est incommunicabilis subsistentia, vt supra dictum est.

Ad confirmationem primò responderi potest, visionem Dei per se primo terminari ad essentiam, & ideo non posse non consequenter terminari ad omnes personas. Sed hoc non omnino satisfacit, cur enim persona diuina per suam relationem non poterit per se primo terminare visionem sui ipsius, cum ipsa relatio vt sic, & ex proprijs, immaterialis sit, atque ad actum intelligibilis, & visibilis? Quod si dicatur, posse quidè per se primo videri, tamen quia essentialiter includit essentia, ideo visa vna persona necessario essentia videri, & consequenter alias personas; Contra hoc replicabitur argumentum, cur non idem sit in vnione hypostatica? Respondetur ergo, ea quæ inter se habent mutuam habitudinem, maiorem connexionem inter se habere in ordine ad claram, seu quidditativam cognitionem, quam in ordine ad realem vnionem, seu physicam. Exemplis hoc patet in rebus creatis, relatio enim accidentaliter paternitatis non potest cognosci sine filiatione, & tamen potest realiter vniri alicui subiecto, cui non vnitur filiatio: & similiter scientia non potest cognosci sine obiecto scibili, & tamen in reali coniunctione vel vnione potest ab illo separari: quia ergo hæc vnio hypostatica est realis, & physica, vt supra explicatum est, & relationes diuinæ inter se realiter distinguuntur, potuit hoc genere vnionis relatio Filij vniri humanitati, non vnitis alijs relationibus: obijci autem visioni non potest sine alia relatione, quia cum illam respicit vt terminum, nostro modo loquendi ex hac habitudine speciem sumit, & non potest res clare videri, & quidditatiuè cognosci sine his cum quibus habet intrinsecam connexionem in sua specificatione. Quod ita potest amplius explicari, nam cum relatio realiter vnitur, solum coniungitur secundum quod in se est, atque aded ad modum absoluti (sicut dici solet in materia de constitutione diuinarum personarum) at vero cum relatio videtur, cognoscitur secundum quod exercet habitudinem ad suum terminum, & ideo videri non potest sine illo.

Dico secundo Per Incarnationem, prout facta est, diuina natura fuit verè, & realiter vnita naturæ humanæ in persona Verbi. Hæc est æque certa ac præcedens, & sumitur ex eisdem testimonijs Scripturarum, & conciliorum. Et sunt optima verba illa Pauli ad Coloss. 2. In quo habitas plenitudo diuinitatis corporaliter, quæ supra. q. 2. artic. 10. ad. 2. in hoc sensu explicata sunt: & illa. 2. ad Corint. 5. Erat Deus in Christo mundum reconcilians sibi. Omnia etiam, quæ supra diximus de compositione Christi ex duabus naturis, hanc veritatem confirmant: docent enim Concilia, & patres ibi citati hanc compositionem consistere in substantiali vnione duarum naturarum in vna subsistentia. Deniq; hoc ipsum confirmant, quæ circa litteram art. 2. huius quæst. & supra disput. 7. lect. 2. adduximus de illa, ppositione; diuinitas est incarnata.

Ratione declaratur, quia natura diuina intimè, & essentialiter includitur in proprietate personali Filij Dei, cum perfecta simplicitate & vnitatem, quam cum illa habet, ergo non potuit illa proprietatem vniri naturæ humanæ, quin ipsa etiā diuinitas illi maneat

ret coniuncta. Et confirmatur quia coniunctio duarum naturarum in vno supposito substantialis est natura autem humana vnitur diuinæ in eodè supposito, ergo. Sed in hoc est aduertenda differentia inter diuinam naturā, & quamecunq; aliam, nam si Verbum assumeret naturam angelicam, & humanam, illæ essent quidem substantialiter coniunctæ in eodem supposito, non tamen ita proximè & intimè, sicut nunc diuinitas & humanitas copulatur: vt quæ; enim illarum naturarum esset distincta à Verbo natura autem diuina, quia est idem cum persona Verbi, & in illa intimè includitur, intimè ac proximè vnitur humane naturæ, per proprietatem Verbi personalem. Sumitur ex D. Thom. infra art. 7. ad. 3.

Dices, Ergo pari ratione persona Patris, & Spiritus sancti erunt vnitæ substantialiter, & realiter humane naturæ Christi, ratione diuinitatis, à qua in re non distinguuntur. Respondetur negando sequelā, certum enim de fide est, personas Patris & Spiritus sancti nullo modo fuisse incarnatas, nec per se, nec per aliud, re aut ratione distinctum, cum tamen diuinitas in aliquo sensu verè dicatur incarnata, vt supra circa litteram explicatum est. Ratio verò huius explicabitur melius sectione sequenti: nunc solum dicitur, ea quæ conueniunt naturæ ratione vnus personæ, alijs personis, non necessario communicari, huiusmodi autem esse vnionem hæc. Et hæc sufficiunt de re ipsa, nam de modo loquendi satis dictum est circa litteram D. Thom. & plura dicemus quæst. 16.

Sed occurrit hic grauis difficultas, an Pater & Spiritus sanctus ratione huius vnionis habeant specialem modum existendi in humanitate vnita, quantum illi vniti non sint. Quod dubium non inuenio in terminis tractatum à Theologis in hoc mysterio, sed contenti sunt absolute negando vnionem factam esse ad has personas, quo videtur significare negantem partem, potius quam affirmantem D. Tho. 1. p. q. 43. art. 3. dicit Deum non existere nouo modo in aliqua natura rationali, præter illos tres vniuersales per essentiam, præsentiam, & potentiam, nisi per gratiam gratum facientem. Hugo verò Cardinalis, qui agens de mysterio Eucharistiæ simile dubium tergit in tractatu qui inscribitur Speculum Ecclesiæ, in §. qui incipit: Post hæc igitur incipit sexta pars: definit Patrem vel Spiritum sanctum nullo speciali modo esse sub speciebus sacramentalibus, etiam per concomitantiam: quod non potest esse verum, si speciali modo essent in humanitate Christi. Vnde à posteriori sumi potest argumentum, nam si illæ personæ essent speciali modo in Christi humanitate, essent per concomitantiam sub speciebus consecratis consequens videtur falsum, nam Concilium Tridentinum sessione. 13. c. 3. soli diuinitati hoc tribuit (scilicet inter res diuinas) propter hypostaticam vnionem, quæ ad alias personas non extenditur.

Nihilominus dicendum mihi videtur sine vlla dubitatione, Patrem, & Spiritum sanctum esse in illa humanitate ratione huius vnionis, singulari & altiori modo, quam in omnibus creaturis sint, quā sententiam necessariò supponunt, qui dicunt has personas esse speciali modo sub speciebus panis & vini consecratis, nam illud non potest esse verum ex vi illius mysterij solius, nisi in quantum hoc supponit, vt per se constat: tenet autem illam sententiam Gabr. lect. 42. super cano. conclus. 2. & Viger. in institut. Viguerius Theologi. ca. 16. §. 3. versic. 4. Et eam mihi sumo ex Augustino serm. 3. de tempore, vbi sic ait: Filius suscepit carnem & non deseruit Patrem, nec se dissiuit a Patre, suscepit (inquam) Filius carnem in proprietate, sed tamen Pater & Spiritus sanctus non desunt maiestate: in diuinitate equalitas, in carne sola Filij proprietates, non tamen ab eo Patris, aut Spiritus sancti recessit aliquando diuinitas. Cum ergo vna sit deitas, vna sit diuinitas, impleuit quidem carnem Christi, & Pater, & Spiritus sanctus sed maiestate, non susceptione. Vnde scire quia cum eo fuit & Pater, non

Colof. 2.

2. Cor. 5.

An Pater & Spiritus sanctus sit eadem modo sint in Christi.

D. Thom.

Hugo Cardinalis.

Responsio ad affirmantem.

Gabr. Viguerius Augustinus.

non sum, inquit Dominus Iesus Christus, solus, sed Pater A
mecum est. Audi de Spiritu sancto, quia cum eo erat, Evan-
gelista refert, quia Iesus plenus Spiritu sancto regressus est à
Iordane, ecce sic solus Iesus Christus suscepit carnem, & ta-
men Pater, & Spiritus sanctus non dii sunt maiestate.

Cypil. Ale-
xandrin

Tertul.

Neque obsecutus indicavit eandem sententiam
Cyril. Alexan. lib. 9. in Ioan. c. 47. ubi exponens ver-
ba illa Ioan. 14. In illo die vos cognoscetis, quia ego in Pa-
tre meo, & vos in me, & ego in vobis. Dicit hæc verba
esse impleta per mysterium Incarnationis, quo fa-
ctum est, ut nos simus in Verbo, quia naturam no-
stram assumpsit, & consequenter, ut ipsum Filium
in nobis habeamus, & Patrem per Filium. Tertul.
etiam lib. contra Praxeam, c. 29. & 30. impugnans
eos, qui dicunt, Patrem esse passum, aut compasum B
cum Filio, dicit non potuisse quidem Filium pati,
nisi Pater esset in natura, in qua Filius patiebatur,
non tamen propterea ipsum passum, vel compas-
sum fuisse. Sicut & nos, inquit, pati pro Deo non possu-
mus, nisi Spiritus Dei sit in nobis, non tamen ipse patiens,
sed pati posse prestans. Quod autem hi patres non lo-
quantur de communi modi, quo Deus existit in re-
bus per essentiam, præsentiam & potentiam, constat,
quia non fundatur in sola immensitate diuinarum
personarum, sed in speciali connexion, quam ha-
bent propter unitatem naturæ, & operationis.

Basilius.

Vnde duplici ratione, aut modo potest explicari,
& probari quod dicimus, primo ex connexion, quæ
est inter diuinas personas, quo ad præsentiam rea-
lem propter unitatem in natura, quam rectè expli-
cuit Basilius episc. 43. Quemadmodum, inquit, in cate-
na, qui vnus annulus unitatem apprehendit, hoc ipso
simul alterum inferum attrahit: ita & hic, qui Spiritum
trahit per ipsam Filium & Patrem vnâ simul attrahit:
& si quis vere Filium apprehenderit, habebit & ipsum Pa-
trem, hinc Patrem illius, illinc Spiritum sanctum vnâ
compactum: neque enim à Patre abscindi poterit, qui simul
est cum Patre, neque à proprio Spiritu seungetur vnquam,
qui in ipso omnia operatur. Et potest hæc connectio per
hanc conditionalem explicari, quia si per impossi-
bile intelligeremus Patrem, Filium, & Spiritum sanctum
non esse in omnibus rebus per essentiam, præ-
sentiam, & potentiam, & fieret vnio hypostatica in-
ter Verbum & humanitatem, ex vi illius necessarium
esset Patrem & Spiritum sanctum intimè fieri præ-
sentes humanitati, quamuis illi hypostaticè non v-
nirentur, quia non possunt à Filio diuidi, vel seungi.
Obiectio. Dices, possunt distingi in hypostatica vnione quia
hæc fieri potest cum Verbo, & non cum alijs, cur er-
go non poterunt distingi etiam in præsentia, quan-
tum est ex vi talis vnionis? Respondetur, quia neces-
saria connectio in præsentia præcisè sequitur ex vnita-
te naturæ, ex qua fit, ut licet vna persona nō sit alia,
tamen necessario vna sit in alia, & vbicumq; est alia,
& ideo non potest vna persona fieri præsens alicui
naturæ, ex vi alicuius vinculi, vel vnionis cum illa,
quin omnes personæ fiant illi præsentes, licet non
vnitæ illo genere vnionis. Exemplum est facile in
anima nostra, quæ per vnionem ad corpus fit præ-
sens omnibus partibus eius: vnde fit consequenter,
ut intellectus qui comitatur animam, sit præsens v-
bicumq; est anima, quamuis non habeat illam vnio-
nem cū partibus corporis, quam habet anima: sic
ergo in humanitate, cui vnitur Verbum, ex vi talis
vnionis intimè adest Pater & Spiritus sanctus, licet
non vniantur illi hypostaticè, & hoc vocauit Augu-
stinus implere carnem Christi patrem & Spiritum
sanctum maiestate non susceptione.

Obiectio.

Respon.

Secunda ratio seu modus explicandi est, quam
Augustinus eodem loco explicuit ab illis verbis, Ad-
huc carnem respice, &c. Quia ubi Deus singulari mo-
do operatur, dicitur etiā esse singulari modo, pro-
pter quod dicitur esse speciali modo in iustis, & ha-
bitare in illis tanquam in templo suo: sed in Christi
humanitate singulari modo operatur tota Trinitas,
Fr. Suarez. Tom. I.

& eam sanctificat, & efficit templum suum excellen-
tiori modo, quam per gratiam habitualement, ergo.

Obiectio.

Dices, hoc argumento probaretur per hanc vnio-
nem vniri humanitatem Patri & Spiritui sancto,
quia in vnione per gratiam, vel alia simili, in qua
Deus dicitur singulariter adesse propter singularem
modum operandi, omnes personæ vniantur. Re-
spondetur negando consequentiam, quia in omni
alio effectu, vnio creaturæ ad Deum est accidentalis,
& sicut effectus æqualiter fit à tota Trinitate, ita di-
cit eandem habitudinem ad Deum vel ut ad obie-
ctum, vel ut ad vltimum finem, cuius naturam par-
ticipat, vel alio simili modo: at verò in hoc effectu,
quia est vnio substantialis ad vnâ personam, quam-
uis efficientia sit communis toti Trinitati, & ideo
præsentia, quæ requiritur præcisè ex vi efficientiæ,
eadem sit in omnibus personis: tamen ipsa vnio di-
cit specialem habitudinem ad personam Filij, tan-
quam ad terminum suum, cum quo solo fit, licet
concomitanter requirat præsentiam Patris & Spiritus
sancti, duplici ratione explicata.

Responso.

Obiectio.

Sed quæres tandem, quidnam sit hæc præsentia,
vel quid addat ipsi humanitati, aut personis diui-
nis? Respondeo, certū est nihil reale addere ipsi per-
sonis, neque humanitati præter ipsam vnionem ad
Verbum, quia personæ immutabiles sunt, & nihil
eis addi potest: in humanitate vero præter ipsam
vnionem, & relationes quæ inde consequuntur, ni-
hil fingi aut excogitari potest. Solum ergo explica-
tur per hunc specialem modum, quo dicuntur Pater
& Spiritus sanctus esse in humanitate, natura & vis
illius vnionis ad Verbum, quæ ex se postulat speciali
titulo intimam præsentiam aliarum personarum,
quæ propter talem vnionem denuo fieret, si non
supponeretur ratione immensitatis.

Responso.

SECTIO II.

*Verum Verbum diuinum terminauerit hanc vnio-
nem ratione alicuius proprietatis absolute, vel
ratione relationis.*

Durandus in 3. dist. 2. affirmat primam rationem
terminandi vnionem hanc esse aliquid absolu-
tum, scilicet substantiam essentialē, & absolutam
diuinæ naturæ. Fundamentum eius est, quia in Tri-
nitate est vna tantum substantia absoluta, qua &
diuina natura, & omnes diuinæ personæ subsistunt,
sed prima ratio terminandi humanitatem est sub-
stantia diuina, nam assumpta est ad subsistendum,
ergo prima ratio terminandi est aliquid absolutum.
Vnde fatetur Durandus hanc vnionem factam esse
per se primo ad deitatem, seu hunc Deum ut sic: ne
verò cogatur dicere inde sequi omnes tres personas
fuisse incarnatas, addit secundum, ex vi huius vnio-
nis præcisè nullam personam esse incarnatam, aut
hominem. Et probat quia ex vi vnionis naturæ hu-
manæ cum substantia essentiali, non necessario se-
quitur vnio cum proprietatibus personalibus, ergo
nec sequitur Incarnatio omnium personarum,
atque adeo neque quoddam sint homines, seu homo:
antecedens patet, quia paternitas verbi gratia sub-
sistit illa substantia absoluta, & inde non sequitur
quod sit vnita personaliter filiationi, vel è contra-
rio, aliās sequeretur confusio personarum, ergo ex
vi vnionis cum substantia essentiali non sequitur
vnio cum omnibus personis, ergo nec cum aliqua
determinata. Addit ergo tertio Durandus, ut Filius
specialiter fuerit incarnatus, factam esse specialem
vnionem humanitatis ad personalitatem Verbi ra-
tione cuius Verbum factum est homo, & non Pater,
nec Spiritus sanctus.

Durand.

Hanc opinionem Durandi impugnant vehemen-
ter Thomistæ, & merito: multi tamē re ipsa in ean-
dem incidunt, ac verbis tantum differunt, Capreol.
distin. 1. concl. 4. dicit contra Durandum rationem

Capreol.

Bb 2

termi-

terminandi fuisse proprietatem Verbi. Postea vero soluendo argumenta Durandi ponit quasi duplicem dependentiam humanitatis à Verbo, aliam in subsistendo, aliam in existendo, illam dicit esse priorem secundum rationem, & formaliter terminari personalitatem Verbi, hanc vero per existentiam & subsistentiam essentialem: quod necessarium fateri tenentur omnes Thomistae, qui in Trinitate tantum agnoscunt unicum esse existentiam absolutum, & essentialem, & dicunt humanitatem Christi non existere existentia creata, sed divina. Unde solum possunt differre à Durando, vel in ordine vnionis, seu dependentiae humanitatis à proprietate relatiua, & absoluta, vel in nominibus, quia hi vocant dependentiam in existendo, ille in subsistendo.

Est vero secunda sententia, quae negat rationem terminandi esse proprietatem relatiuam, vel absolutam, sed ut ita dicam, totam entitatem Verbi secundum se totam, quae utramque rationem includit. Tenet Ocham in 3. q. 1. art. 2. nec displicet Gabri. d. 1. notab. 5. sumi etiam potest ex opinione Gregorij d. centis personas diuinas seipsas & non aliquibus proprietatibus constitui: ratio enim est eadem, quia scilicet persona diuina est simplicissima, & in ea non distinguuntur in re ipsa relatio & essentia. Nec multum ab hac opinione differt ea, quae dicitur fuisse multorum Thomistarum, scilicet proximam rationem terminandi fuisse subsistentiam Verbi: & quoniam putabant in Trinitate tantum esse unam subsistentiam essentialem, quae omnes tres personae subsistunt, aiebant consequenter rationem terminandi esse illam subsistentiam, non secundum se, & ut communem, sed ut accommodatam Verbo per relationem, ita ut proxima ratio terminandi sit ipsa personalitas Verbi, in quantum est ratio incommuniabiliter subsistendi, in cuius conceptu formali includitur id, quod absolutum est, & quod relatiuum: & supposito illo principio, quod subsistentia in Deo est tantum absoluta, hi autores optime omnium loquebantur.

Dico primo, Formalis ratio, per quam Verbum primo ac per se terminat humanitatem, est proprietates eius relatiua. Hae sunt sententia D. Thom. hic in his duobus articulis, ideo enim dixit propriissimè conuenire personae assumere, naturae autem non nisi ratione personae, quoad rationem terminandi: ita cum eo sentit tota eius schola. Idem docet Alexand.

Alens. 3. p. q. 4. memb. 1. Bonau. in 3. d. 1. art. 1. q. 2. d. 5. art. 1. q. 1. & ibidem etiam Scot. q. 1. & d. 1. q. 5. in ista q. & in solutione ad 1. & ibi Gabriel. q. vni. ca. art. 1. Richar. art. 1. q. 2. Palud. q. 2. art. 3. & 4. Marfil. q. 2. artic. 1. in fine, cui aliqui Thomistae falsò tribuunt vltimam opinionem supra citatam. Et est sententia ita certa, ut contraria nullo modo probabilis existimanda sit, primo quia fere expresse habetur in Concil. Tolet. VI. & XI. in principio, ubi sic dicitur: *Solus Filius assumpsit humanitatem in eo, quod proprium est Filii, non quod commune est Trinitati.* Quid clarius? alterum enim affirmat, & alterum aperte negat.

Hinc etiam in sexta Synodo action. 8. sub finem dicitur solū Verbum esse incarnatum; *Quia Pater, & Spiritus sanctus nihil in incarnatione habent commune, nisi benignissimam voluntatem.* Quorum verborum sensus manifestus est: effectum incarnationis esse communem tribus personis, quia per aliquod omnibus commune illam efficiunt, scilicet per voluntatem incarnationis vero non esse commune, quia non ad aliquid commune terminatur. Et ad hoc confirmandum citatur dictum Dionys. quod habetur c. 2. de Diuin. nom. p. 1. post medium, ubi mysterium hoc ad discretam Theologiam pertinere dicit, quod eodem modo tractat Damasc. lib. 3. de fide. c. 6. & Nicet. lib. 3. thesau. c. 34. & Elias Cretenf. in orationem 51. Nazian. 5. At inquit: Et simili modo Anselm. lib. de Incarnat. Verbi, c. 4. vnionem probat non esse com-

munem, quia non est facta in natura communi, quae ratione vitur etiam D. Thom. infra art. 4.

Et hinc fumitur prima ratio, quae potissimum solet impugnari sententia Durand. quia si haec vnio per se primo terminata est ad subsistentiam essentialem, ergo qui primo factus est homo fuit hic Deus ut sic, ut abstrahit à personis, & est quid commune illis, ergo ex vi huius vnionis tam Pater quam Spiritus sanctus est homo.

Respondet primo Durand. simpliciter non sequi, quia ex vi illius vnionis proprietates Patris, & Spiritus sancti humanitati vnita non sunt, unde neque ex vi illius vnionis solius Verbum est homo, tamen cum addito addit in q. 4. posse concedi Patrem in quantum hunc Deum, esse hominem. Quae responsio primo duo admittit omnino aliena à modo sentiendi Conciliorum & Sanctorum. Primum est factum esse à Deo aliquam vnionem hypostaticam, ex vi cuius Deus factus sit homo, & non Verbum, neque enim agnoscunt Patres aliam vnionem praeter illam, quae primo & per se Verbum caro factum est. Secundum est, Patrem posse vlla ratione dici hominem, etiam cum illo addito, in quantum Deus, praesertim, cum inde possit facile inferri, etiam sine illo addito, idem sequi, nam, quod Patri conuenit, in quantum est Deus, simpliciter potest de illo praedicari, & sine illo addito, ut patet in his locutionibus, *Pater creat, Pater sanctificat*, quae non asseruntur de illo, nisi quatenus Deus est.

Quocirca, licet propter specialem vnionem ad propriam relationem posset dici, Verbum speciali modo factum esse hominem, tamen prior vnio ad hunc Deum, etiā sufficit, ut quilibet persona simpliciter homo dicatur, primo quia quidquid conuenit Patri, ut est Deus, conuenit simpliciter, quia illa non est conditio diminutiva, sic enim (ut dicebam) creare conuenit Patri in quantum est Deus, id est ratione diuinitatis, tota enim ratio, per quam creat, est diuinitas, & non relatio, & nihilominus simpliciter verum est Patrem creare: ergo similiter si per subsistentiam essentialem terminat humanitatem, simpliciter ipse terminat, ergo simpliciter est incarnatus & est homo. Secundo id ostenditur arguendo hoc modo: hic Deus, est hic homo, tam secundum se, quam in omni persona in qua existit, sed Pater est hic Deus, ergo Pater est hic homo. Tertio explicatur vis huius consequentiae, nam posita illa vnione, tam quid commune esset hic homo, quam hic Deus, ergo cuiusque communicatur hic Deus, communicatur hic homo, ergo sicut Pater ratione huius communicationis est hic Deus, etiam est hic homo.

Quartò, Pater est hic Deus, quia est hoc subsistens in hac diuinitate, sed etiam est hoc subsistens in hac humanitate, ergo etiam est hic homo. Quintò, quia si ratio terminandi est subsistentia essentialis ergo persona Patris & humana natura substantialiter vniantur illa communi subsistentia, tantumquam substantiali nexu, sicut nos dicimus cum omnibus Patribus, duas naturas esse vnitas proprietate relatiua Filij, quia nihil aliud est substantialiter vniri, nisi habere terminum substantialem communem, & verique extremo substantialiter coniunctum, sed incarnari nihil aliud est, quam substantialiter vniri carni, ergo saltè eo modo, quo diuinitas dicitur incarnata, quia vnita carni in persona Verbi, ita Pater poterit dici incarnatus, quia vnitus carni saltè in hoc Deo.

VI. non arguitur ratione ostensua quia haec vnio facta est per modum compositionis vnius personae humanae ex humana natura, & personalitate increata, ut supra ostensum est, ergo quod ex parte Verbi formaliter terminauit dependentiam humanam naturam, & cum illa coniuncta est ad hanc mirabilem compositionem, fuit personalitas Verbi, per quam impedita

Ocham.
Gabriel.
Gregorius.

Formalis
ratio termi
nandi vnio
nem:
D. Thom.

Alens.
Bonau.
Solut.
Gabr.
Richard.
Palud.
Marfil.
Conc. Tol.

6. Synod.

Dionys.
Damasc.
Nicetas.
Elias Cre
tenf.
Anselm

impedita est in humanitate propria personalitas. Et A confirmatur, nam hæc personalitas est sufficientissima ad hoc munus terminandi, cum sit infinita substantia relatiua, vt supra ostensum est: est etiam accommodatissima, quia sicut incarnatio fuit propria Verbi, ita fieri debuit in eo quod est proprium Verbi, sicut è contrario, quia creare est commune, ratio seu principium creandi commune est. Confirmatur secundò, nam in Christo persona diuina & humana est vna, & eadem, ergo eadem proprietate constituitur in ratione personæ sub vtraque natura, sed illa proprietate, per quam constituitur in ratione personæ, est ad quam formaliter terminatur humanitas vnita, quia hæc vnio per se tendit ad constitutionem personæ: ergo.

Dico secundò. Hæc vnio per se primo in nullo absoluto facta est, sed tantum in relatiuo, in absoluto verò solum quatenus includitur in relatiuo. Hæc conclusio ferè sequitur ex dictis, & ad eam confirmandam possunt accommodari rationes factæ. Ex illa vero excluditur primò sententia asserentium factam esse vnionem in existentia communi, & absoluta vt sic, quia vitari non potest quin ratione talis vnionis Pater habeat substantiale vinculum, & nexum cum carne, atque adeò vt aliquo modo incarnatus sit. Sequitur etiam vel illam vnionem esse hypostaticam, quod est in Durandi opinionem incidere, vel certè esse vnionem substantialem inter naturam creatam & diuinam in absoluta existentia ipsius naturæ, quæ non sit hypostatica, sed alterius modi, quod inauditum est in Concilijs loquentibus de incarnatione, vt facta est, talis enim vnio esset potius in natura, quam in persona. De qua sententia plura infra q. 17.

Secundò excluditur sententia Gabriëlis & Okam, quia licet in Deo absoluta, & relatiua in re non distinguantur, nihilominus tamè absolutum est ratio creandi, & non relatiuum: & è contrario relatio constituit personam, & non absolutum, & in absoluto, personæ sunt vnum, & in relatiuo distinguuntur, ergo simili modo in hoc mysterio potuit fieri vnio in relatiuo, & non æque primo in absoluto, sed solum prout in relatiuo includitur: præsertim quia, si æque primo fieret in absoluto, vix posset vitari quin ex eo capite vnio esset communis. Tertiò excluditur alia Thomistarum sententia, quatenus falso fundamentum nititur negando substantialem relationem: & reuera, si id quod est incommunicabile in relatione Filij non esset substantia nec ratio subsistendi, vix posset intelligi, quo modo secundum propriam, posset vniri hypostaticè humanitati, quia illa non potest vniri, vt referat humanitatem, ergo tantum potest vniri in ratione subsistendi, ergo si hoc modo vnitur, illa vt sic, est primarius terminus vnionis, vel si hoc modo non vnitur, nullo modo vnitur. Et hæc ratio optimè accommodari potest contra Dur. Et è conuerso, ratio facta contra illum, potest facillè contra hanc sententiam applicari. Quia, si substantia absoluta secundum se est propria ratio terminandi vnionem aliquam, necessariò sit, illam esse communem Patri & Spiritui sancto, & secundò illam esse hominem, etiam si vltra hanc ponatur specialis vnio ad personalitatem Verbi, nam inde solum fiet, Verbum esse speciali modo personam humanam, non verò vitabitur aliud inconueniens, quod aliæ personæ sint homo sub aliqua ratione. Neque ad hoc refert, quòd vnio ad personalitatem Verbi ponatur ratione prior aut posterior, quam vnio ad substantiam absolutam: nam hic ordo rationis non tollit quin illa vnio ad substantiam absolutam, in quocunque signo rationis fieri intelligatur, sit communis omnibus personis, & sufficiens, vt omnes maneant incarnatæ, & humanæ. Et ita solum relinquatur fundamentum Durandi, & aliarum opinionum.

Sed supersunt breues difficultates, prima est contra præcipuam rationem factam contra Durandum, & alios, quia in Patre tota ratio, seu principium generandi est essentia, & tamen non sequitur, generare esse commune omnibus personis, quia paternitas est conditio necessaria ad generandum: ergo simili modo, quamuis ratio terminandi vnionem, in Filio esset essentia, posset vnio non esse communis, quia esset etiam necessaria vnio cum relatione. Et confirmatur, quia quamuis dicamus naturam diuinam esse vnitam humanæ media relatione, tamen reuera fuit tota vnita, & nihilominus non sequitur Patrem esse vnitum, ergo idem intelligi posset, etiam si ipsa diuina natura immediatè per suam substantiam essentialem esset vnita. Respondetur in primis, Concilium Toletanum, non solum dicere, proprietatem Verbi esse conditionem necessariam ad hanc vnionem, sed esse id quo facta est vnio: & ab alijs Concilijs propter eandem causam dicitur hæc vnio facta in hypostasi Verbi. Deinde exemplum adductum nihil fauet Durando quia reuera non est simile, nam generatio est actus notionalis connotans relationem necessariam in principio generante; at verò illa vnio, quam ponit Durandus, est quasi essentialis, seu ex vi proprietatis essentialis tantum, nec requirit vnionem cum proprietate, vt conditionem necessariam, sed potius eam ponit & secundario, & quasi per accidens adiunctam. Deinde hic Deus, vt abstrahit à personis, non generat, sed solum vt est Pater: at verò Durand. ponit hunc Deum, vt abstrahit à personis per se vniri. Adde contra alios, actum notionalem idè esse proprium personæ producentis, & non productæ, quia est ab vna persona, vt origine antecedit aliam, & idè requiri, vt conditionem necessariam in persona producente, relationem quæ importet hæc prioritatem originis: at verò omnis communicatio diuini esse, quæ est extra Deum, supponit personas constitutas, & per se non requirit ordinem originis, & idè si talis communicatio fiat per essentiam, & non per relationem, non est cur requiratur relationem vt conditionem necessariam, vel cur non se habeat indifferenter ad omnes. Confirmatur, quia alijs pari ratione dici posset, vniam personam posse efficere incarnationem sine alia, gratis fingendo relationem esse conditionem necessariam ad illam effectiorem. Denique in generatione æterna idè essentia est principium generandi, quia illa est quæ per generationem communicatur, ergo si in hac vnione illa est principium terminandi, illa erit quæ communicatur; omnis autem communicatio essentia diuinæ est ab omnibus personis diuinis, quæ supponuntur constitutæ antea talem communicationem, ergo. Ad confirmationem respondetur negando consequentiam, quia nunc vinculum vnionis est proprium Verbi, & non commune, & substantia absoluta vt sic non terminat naturam humanam, sed tantum vnitur illi, media relatiua, vt inclusa & modificata in illa: & idè sicut substantia relatiua Filij terminat naturam diuinam, & non terminat personas alias; ita vnit illam naturam humanam, & non alias personas. At verò si vnio fieret in aliquo essentiali, iam vinculum vnionis esset commune, & in illo vniretur humana natura cum omnibus personis.

Secunda difficultas est, quia relatio diuina vt sic, non dicit perfectionem, ergo non continet eminenter personalitatem creatam, ergo non potest supplere vicem vlli, ergo non potest esse terminus huius vnionis. Scot. supra quæst. 1. & 4. propter argumentum concedit personalitatem diuinam, quam putat secundum propriam rationem nullam dicere perfectionem, non continere eminenter personalitatem creatam, repugnat enim hic modus continendi sine aliqua perfectione: vnde ad argumentum negat hoc esse necessariū, vt vna personalitas suppleat vicem

Obiectio.

Responsio.

Discrimen inter actus notionales & vnionem.

Obiectio. 2.

Scotus.

Caetan. vicem alterius. Quam sententiam impugnatur Caetan. hic art. 1. sed cum ipse cum Scoto sentiat relationem ut sic, nullam dicere perfectionem, vix potest vitare, quin vel relatio habeat vim terminandi formaliter a perfectione absoluta, quam habet ratione essentiae, quod videtur incidere in opinionem Durandi, vel certe quin relatio terminet, prout nullam perfectionem dicit, quod Scotus intendit.

Responsio. Respondetur ergo negando maiorem, nam ut supra dixi, relatio diuina ex proprio conceptu includit substantiam relatiuam, quae ex proprio conceptu dicit infinitam perfectionem, etiam relatiuam, ut docet etiam Gabr. in 3. dist. 1. quaest. 1. art. 3. dubio secundo. Mirum est enim, quod personalitas creata dicat aliquam perfectionem, & tamen quod personalitas diuina, in quantum personalitas est, nullam dicat. Non igitur ita est, sed dicit infinitam, ratione cuius habet vim, ut possit supplere vicem substantiae creatae, & hoc modo potest dici continere illam eminenter, quia continet quiddam perfectionis est in illa, & in ratione termini potest vicem eius supplere, quamuis in ratione principij actiui, non contineat illam, nisi ratione essentiae, quod nihil. eferre ad rationem terminandi, de qua agimus.

Obiect. 3. Tertia difficultas est, quia non videtur, quomodo humanitas Christi possit terminari per relationem, quin Christus ut homo referatur ad patrem per illam relationem. Et confirmatur, nam sequitur Christum esse analogice personam cum alijs hominibus.

Responsio. Respondetur, Christum ut substantiam in humanitate esse personam relatiuam, formaliter loquendo de ratione personae, quamquam ut est indiuiduum quoddam humanae naturae, sit aliquid absolutum: & ideo ex hac vnione non sequitur humanitatem, vel hunc hominem referri ad Patrem, sed solum id sequitur de hac persona, sicut quamuis relatio terminet deitatem, non tamen refert deitatem ipsam, nec hunc Deum, ut sic ad Patrem, sed personam illam, ut secundum fetalis est. Denique illa relatio non vnitur per modum formae informantis, sed solum per modum termini quasi sustentantis naturam, & ideo non oportet, ut referat ipsam naturam ad aliud. Ad confirmationem respondetur Christum esse vniuocum hominem nobiscum, quia in ratione hominis humanitate constituitur, ut iterum dicitur quaestio. 17. at vero in ratione personae reperitur inter eius personam, & personas creatas analogia, cum quia eius persona relatiua est, aliae sunt absolutae: tum maxime quia eius persona est infinita, & increata, aliae vero sunt creatae & finitae.

A prietas personalis quae triplex est, scilicet paternitas, filiatio, & processio: ut in prima parte dictum est: Sed 1. p. q. 10. remotis his per intellectum, adhuc remanet Dei omnipotentia per quam est facta incarnatio: sicut Angelus dixit Luc. 1. Non erit impossibile apud Deum omne Verbum. Ergo videtur quod remota personalitate, natura diuina possit assumere.

b Respondeo dicendum, quod intellectus dupliciter se habet ad diuinam. Vno modo ut cognoscat Deum sicut est: & sic impossibile est, quod circumscribatur per intellectum aliquid a Deo, & quod aliud remaneat: quia totum, quod est in Deo, est vnum, salua distinctione personarum. Quorum tamen vna tollitur sublata alia, quia distinguuntur solis relationibus, quas oportet esse similes. Alio modo se habet intellectus ad diuinam non quidem quasi cognoscens Deum ut est, sed per modum suum, scilicet multipliciter & diuisum, id quod in Deo est vnum. Et per hunc modum potest intellectus noster intelligere bonitatem & sapientiam diuinam, & alia huiusmodi, quae dicuntur essentialia attributa, non intellecta paternitate vel filiatione, quae dicuntur personalitates. Et secundum hoc, abstracta personalitate per intellectum, possumus adhuc intelligere naturam assumentem.

c Ad primum ergo dicendum, quod quia in diuinis idem est quo est, & quod est, quicquid eorum, quae attribuantur Deo in abstracto, secundum se consideretur, alijs circumscriptis, erit aliquid subsistens, & per consequens persona: cum sit in natura intellectuali. Sicut igitur nunc positis proprietatibus personalibus in Deo dicimus tres personas: ita exclusis per intellectum proprietatibus personalibus, remanebit in consideratione nostra, natura diuina, ut subsistens, & ut persona. Et per hunc modum potest intelligi, quod assumat naturam humanam ratione sua subsistentia vel personalitatis.

d Ad secundum dicendum, quod etiam circumscriptis per intellectum personalitatibus trium personarum, remanebit in intellectu vna personalitas Dei, ut Iudei intelligunt, ad quam poterit terminari assumptio, sicut nunc dicimus eam terminari ad personam Verbi.

d Ad tertium dicendum, quod abstracta personalitate per intellectum, dicitur nihil remanere per modum resolutionis: quasi aliud sit quod subijciatur relationi, & aliud ipsa relatio: quia quicquid consideratur in Deo, consideratur ut suppositum subsistens. Potest tamen aliquid eorum, quae dicuntur in corpore de Deo, intelligi sine alio, non per modum resolutionis, sed per articulum, modum iam dictum.

ARTICVLVS III.

Verum abstracta personalitate per intellectum, natura possit assumere.

21.
3. dist. 5. q. 1.
artic. 3.
Art. brace.
dent.



Ad tertium sic proceditur. Videtur quod abstracta personalitate per intellectum, natura non possit assumere. Dicitur enim, quod natura conuenit assumere ratione persone: sed quod conuenit alicui ratione alicuius, remoto eo non potest ei conuenire: sicut corpus, quod est visibile ratione coloris, sine colore videri non potest. Ergo abstracta personalitate per intellectum, natura assumere non potest.

2 Præterea, assumptio importat terminum vnionis, ut dictum est: Sed vnio non potest fieri in natura, sed solum in persona. Ergo abstracta personalitate, natura diuina non potest assumere.

3 Præterea, in prima parte dictum est, quod in diuinis abstracta personalitate nihil manet: Sed assumens est aliquid. Ergo abstracta personalitate, non potest diuina natura assumere.

Sed contra est, quod in diuinis personalitas dicitur pro-

COMMENTARIVS.

Duplex potest esse sensus huius quaestiones, prior est conditionatus ex hypothesi impossibili, per quam abstrahuntur relationes, non tantum ab actu incarnationis, sed etiam ab ipsa diuinitate, ut Caetan. dicit: ut quaestio sit, an si in re ipsa intelligatur diuina natura esse sine relationibus, possit assumere. Et hoc modo licet abstractio hæc fiat per intellectum, tamen ex hypothesi ponitur in re ipsa ad modum abstractionis negantis vnum ab alio, & non tantum præcipientis.

Secundus sensus esse potest absolutus, abstrahendo relationes ab actu incarnationis, & non a diuinitate, ut sensus sit: an nunc existente natura diuina coniuncta relationibus, possit nihilominus assumere per ea, quae præcise illi conueniunt, ut a relationibus abstrahitur. Et quidem si titulum articuli nude consideremus, potius videtur indicare posteriorem sensum, in quo natura abstrahitur ab omni personalitate: cui fauet verbum illud. An natura possit assumere, quod indicat sensum absolutum, nam in quaestione conditionata potius esset dicendum, an posset assumere posita hypothesi. Et tam argumentum. Sed contra, quam corpus articuli optime quadrat cum

Titulus articuli.